

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Concupiscencia c cum fonte primo

Qui uiderit mulierem
et cetera.

Inter passionem et propassionem
hoc interest quod passio reputatur in uicium,
propassio licet inicii culpam habeat
tamen non tenetur in crimine.
Ergo qui uiderit mulierem et anima eius fuerit
titillata, hic propassione percussus est.
Si uero consenserit et de cogitatione affectum
fecerit, sicut scriptum est in Dauid:
Transierunt in affectum cordis,
de propassione transiuit ad passionem
et huic non uoluntas peccati deest sed occasio.
Quicumque ergo uiderit,

id est si sic aspexerit ut concupiscat
ut facere disponat,
iste recte mechatus dicitur eam in corde suo.

Ieronymus super Mattheum libro I. capitulo XIII.

*Qui uiderit mulierem
ad concupiscendum eam,
iam moechatus est eam in corde suo.*
Inter πάθος et προπάθειαν, id est
inter passionem et propassionem,
hoc interest quod passio reputatur in uitio,
propassio (licet initii culpam habeat)
tamen non tenetur in crimine.
Ergo qui uiderit mulierem et anima eius fuerit
titillata, hic propassione percussus est;
si uero consenserit et de cogitatione affectum
fecerit sicut scriptum est in Dauid:
Transierunt in affectum cordis,
de propassione transiuit ad passionem
et huic non uoluntas peccandi deest, sed occasio.
Quicumque igitur uiderit
mulierem ad concupiscendum,
id est si sic aspexerit ut concupiscat,
ut facere disponat,
iste recte moechatus eam dicitur in corde suo.

Hieronymus Stridonensis, *Commentarii in euangelium Matthei*, 1 (CCSL 77, D. Hurst & M. Adriaen eds., pp.30-1, ll.605-617).